DISSERTATIO INAUGURALIS,

DE

HYDROCELE TUNICAE VAGINALIS.

JACOBO FAIRBAIRN AUCTORE.

QUANDOQUIDEM hujus inclytae Academiae institutis sancitum est, ut singuli ad gradum doctoratus evehendi aliquod suae diligentiae specimen in publicum proferant, prae caeteris Hydrocele mihi se commendat, morbus equidem non periculosus aut curatu difficilis, sed quo multi laborant et semper magno cum incommodo. Omnes chirurgi maxima attentione eum dignum existimaverunt, et multi inter celeberrimos ut P. Pott, B. Bell, &c. de illo Dissertationes

eximias scripserunt. Difficile erit aliquid novi addere de morbo quem tales homines excoluerunt, et praesertim non est expectandum in dissertatione hujus generis. Non dubitabo observationibus uti aliorum, contentus me morbum intelligere de quo agendum est evincere. Nullo alio modo Dissertationis Inauguralis consilio melius responderi potest.

Omnia corporis cava ab aquosa materie humectantur quae in œconomia utilis admodum est, has partes quae sibi invicem atteruntur lubricas reddendo, ut earum motus liberior fit, et concretio quae aliter evinceret, malumque induceret, etiam praecaveatur. Quum eadem verò in cavo quovis, tali quantitate accumuletur ut tumor et molestia inde oriantur, morbus, quem hydropem nominare solent medici, constituitur.

Hoc modo variae species hydropis producuntur, quae ascites, hydrothorax, &c. secundum cavitatem in qua aqua accumulatur, appellantur. Ubi morbus in tunica vaginali

testis aut in funiculo spermatico est situs, nomen Hydroceles obtinuit. Ut itaque sedes morbi variat, sic etiam variant phenomena.

Tumor scroti non dolens, paulatim
Crescens, mollis, fluctuans, pellucidus.

Sic definitur morbus celeberrimo CULLENO, quem inter Hydropes in Classe Cachexiae collocavit.

Dominus POTT qui multum de malo scripsit, quatuor species enumerat.

1. Ubi aqua est inter cutem scroti, aut anasarca scroti.

2. Ubi est inter tunicam vaginalem et tunicam albugineam testis aut Hydrocele Tunicae Vaginalis.

3. Ubi aqua in tunica communi chordae spermaticae accumulatur.

4. Ubi est in cista ejusdem tunicae praeternaturam formata.

Celeb. Desault aliam speciem etiam enumerat, nimirum, ubi aqua est inter duas tunicas testiculi; sed hìc nexus est inter tumorem et cavitatem abdominis medio foraminis quo testis exierat. Hoc malum hora natali existit, hinc Hydrocele Congenitalis nominatum est.

De his observare oportet ut prima semper ab anasarca totius corporis pendeat, et itaque remediis hydropis occurrendum sit. Tertia et quarta species rarissime se ostendunt, ferè nunquam incommodae fiunt, et igitur auxilium artis salutaris non sibi vindicant. Si tertiam speciem amovere necessarium sit, eodem modo ac in curatione Hydroceles Tunicae Vaginalis agendum est.

In hac dissertatione est mihi in animo tantum tractare de specie secunda, quae saepius occurrit, et fere unica est quae chirurgi ope eget.

DE MORBI NATURA ET SIGNIS.

Hic morbus tumore scroti ex fluido inter tunicam vaginalem et tunicam albugineam cumulato oriente, constat.

Hae tunicae primò a peritonaeo derivatae, semper fluido seroso e vasis earum lymphaticis effuso, causa suas functiones faciliores reddendi et frictionis effectis exitiosis praeveniendi, sunt madefactae.

Haud rarò tamen vitio lymphaticorum hoc contra naturam accumulatur, et morbo originem dat. Eodem modo producuntur omnes species Hydropis, sed Hydrocele omnino est affectio localis, quia ferè nunquam eodem tempore utrumque latus afficitur, et quanquam alios morbos comitetur, crebrò in secunda valetudine existit.

Plerumque scroti tumor paulatim crescit,

sed in aliis aliàs; et in paucis casibus celerrimè auget. Non dolet, ob quam causam aeger rarissimè morbum observat, donec aliquamdiu extiterit. Hoc tempore tumor est mollis, laxus, et interdum fluctuans. Testiculum facile sentitur. Morbo augente tamen durescit, et saepe testi induratae similis apparet; digito prementi resistit, et fluctuationis sensus evanescit. Summum scrotum est laeve, interdum splendens, et rugae ferè e conspectu evolant. Funiculum spermaticum per totum morbi cursum vitio liberum ad tumoris superiorem partem, nisi tumor maximam molem attineat, distinguere possumus. Testiculum tamen non sentitur praetèr ad partem scroti superiorem et posteriorem ubi conjunguntur tunicae vaginalis et albuginea. Haec pars aliis durior est, et haud resiliendi vim habet. Haec res summi momenti est in morbum dignoscendo, nam in sarcocele digito eundem sensum cum aliis dat. Ubi maximus fit tumor penis involvitur, et ferè evanescit.

Si aqua non sit obscura, et morbus longo tempore non extiterit, lucerna utrilibet lateri scroti admota, pelluciditatem indicat. Hoc signum omnibus ferè chirurgis certissimum aestimatur; et equidem sine illo in nonnullo dubio operamur.

In Hydrocele testis interdum amplificatur sed duritie et dolore sarcoceles caret, quanquam haec affectio cum aquae accumulatione, haud raró est conjuncta. Hìc tamen testiculi morbus alterum producit.

Saccus tunicae vaginalis saepe non densior fit, praesertim si recens sit malum; sed saepissime bis terve tunica naturali densior observatur. In hoc casu scrotum non translucidum est.

Fluidum plerumque in uno sacco accumulatur, sed interdum in diversis cistis invenitur. Dr Baillie credit has cistas ab adhesi onibus inter tunicas oriri, natura fluidi sero sanguinis est similis. Est subflavum, sub-

viride aut subfuscum. Quantitas a mole tumoris pendet.

DE MORBI CAUSIS.

CAUSAE omnes quae hunc morbum producunt vel effusionem lymphae augendo, vel ejusdem absorptionem imminuendo agunt. Difficile est dicere quomodo his effectis originem dant, nam hactenus paululum de secretione notum est. Omnis aetas est ei obnoxia, et aliquando infantes eodem affecti nascuntur.

Dominus POTT causam remotam ignorat. RUYCH ex varice venarum spermaticarum oriri credidit, et certum est varicem earundem venarum saepe Hydrocelem comitari. Omnes aegri, qui mihi obvenerunt, violentiae externae malum attribuerunt. Eodem modo ac aliae hydropis species tumoribus viscerum partis, qui sanguinis reditum impe-

diunt, producitur, ut a sarcocele, tumore funiculi spermatici, &c.

Lues venerea est fortasse causa hujus morbi, sed possible est accumulationem aquae in hoc casu a tumore testiculi saepe in syphili observato, pendere. Crebrò strictu-ris urethrae tribuendum est, nam post harum curationem Hydrocele discedit.

DE DIAGNOSI.

Omnium morborum Diagnosis momenti est, sed praesertim eorum quibus obnoxia sunt testicula, quia,si non accuratissimè sint discriminati, cum magno periculo chirurgus ad aliquod agendum se accingit, nam operatio Hydroceles in hernia scroti adhibita, effecta pessima produceret.

Semel duos chirurgos habilissimos vidi, qui in casu fungi haematodis testis injectione utebantur. Morbum fuisse Hydroce-

lem cum tunica vaginali maximè densata, crediderunt. Tumor non fuit pellucidus. In altero homine ch rurgus herniae incarceratae omnibus auxiliis usus est, quanquam morbus hydrocele fuisset, nullo alio malo complicata. In hoc exemplo multum aegro incommodum dedit, et in illo quamprimum castrare necessarium fuit. Praeter injuriam aegro illatam chirurgi omnibus fuerunt ludibrio.

Est mihi in animo de iis malis cum quibus confundi potest Hydrocele, pauca dicere.

Hernia Scroti.—Ex historia supra memorata apparet, eos attentione aut scientia expertes hunc morbum et Hydrocelem confundere posse. In hernia tumor non est tam durus aut regularis. Testis ad ejus partem inferiorem facile sentitur, sed funiculum spermaticum intestino aut omento obductum, non est discernendum. Scrotum non transparet, et borborygmi in eo aliquando audiuntur. Doloribus et aliis colicae

signis obnoxius est aeger. Si hernia reduci possit naturam morbi satis indicat. In hernia incarcerata tumoris dolor et alia symptomata morbum manifestant.

Anasarca Scroti.—In hoc cutis scroti est laevior quam in Hydrocele Tunicae Vaginalis. Vestigium digiti prementis in tumore aliquamdiu manet. Ut signum est affectionis totius corporis, utrumque latus eodem tempore ferè semper occupat. Hydropis signa urgent, veluti, sitis, urina parca, &c. Tumor non est pellucidus.

Hydrocele Funiculi Spermatici.—In hoc malo tumoris signa eadem sunt ac in Hydrocele Tunicae Vaginalis. Suam sedem tamen habet inter annulum abdominalem et testem, et haec semper infra tumorem vitio libera discernitur.

Circocele.—Sensatio quam digitis ei admotis hoc malum dat ejus naturam satis declarabit.

Sarcocele.—Hoc malum maxima tumoris duritie et irregularitate, cum dolore et aegri valetudine adversa cognoscitur. His adde tumorem non pellucidum esse. Raro inveterascit sine funiculi spermatici vitio superveniente.

Hernia Humoralis.—Dolor, tumor subito post gonorrhoeae recessionem apparens, et febris symptomatica, quae aliquando comitatur, mali naturam monstrant.

Hydatides in tunica vaginali aliquando inveniuntur. In hoc casu difficile erit inter duos morbos dignoscere quia eadem phenomena producuntur. Ubi Sarcocele Hydroceli supervenit de affectionis natura judicare oportet attentè considerando symptomata quae adsint.

DE PROGNOSI.

FAUSTISSIMA est prognosis hujus morbi. Nunquam necat et plerumque facile amovetur. Quo magis testiculum est affectum eo difficilior erit Hydroceles curatio.

DE MEDENDI RATIONE.

INDICATIONES curatoriae in hoc morbo eaedem sunt ac in Hydrope, nimirum fluidum amovere et tunc ejus reditum impedire. Cum tamen morbus est localis, nulla auxilia praeter ea parti affectae admota minimam vim habent. Necessarium est aquam alicujus instrumenti punctura emittere, causa primam indicationem peragendi, et quolibet modo tunicae vaginalis inflammationem excitare, ut secundae satisfaciamus.

Aqua scalpello aut instrumento trocar appellato, emittenda est. Plurimi Chirurgi hoc utuntur et sine dubio in ferè omnibus exemplis optimum erit; quia medio canulae facilius effluit, quam ex illius vulnere.

Ubi tamen est suspicio ullam testis affectionem adesse, scalpello uti oportet, ut Dominus Ramsden, in ejus observationibus de sclerocele, commendat.

Semper ad partem tumoris anteriorem et inferiorem incidenda sunt integumenta scroti, quo loco etiam trocar introducere debemus, nam hìc minus est periculum testem laedendi. Post hanc operationem aqua interdum non redit, sed crebriùs aliàs accidit, et brevi tumor fit ejusdem molis ac antea.

Alia auxilia itaque sunt admovenda ad secundae indicationi satisfaciendum. Huic proposito inserviunt sex operationes, nimirum, injectio, incisio, setaceum, excisio, turenda, et causticum.

Quanquam omnes hi modi operandi omnino obsoleverint praeter injectionem et incisionem, est mihi consilium pauca de singulis agere.

Qualibet operatione inflammatio producitur, unde adhesiones inter tunicam vaginalem et tunicam albugineam oriuntur. Hoc modo cavitas tunicae prioris deletur, et aquae accumulatio praecavetur.

Ignoro an unquam probatum sit concretionem inter tunicas ad morbo medendum semper esse necessariam. Verisimile est saepe accidere, sed non dubito operationem aliquando sine minima adhesione curationem producere. In uno post injectionis usum tumor statim rediit, et lucernae medio a fluido pendere fuit compertum. Brevi tamen iterum imminuere coepit, et haud longo tempore aeger ad sanitatem redigebatur. In hoc exemplo mihi apparet nullam adhesionem ab operatione ortam esse. Alia ejusdem generis observavi, et unum funi-

culi spermatici ubi agebatur incisio. Dominus RAMSDEN, post multas observationes, sibi hanc opinionem asciscit.

Injectio.—Fluidum stimulans, quod satis inflammationis producere conveniat, in cavitatem tunicae vaginalis injicitur. Ejusdem quantitas ferè aquam emissam aequare debet, et, duodecimam horae partem retinendum est, si non adsit nimis molestiae. Nonnullus dolor tamen est utilis, quia inflammationem idoneam indicat.

Fere omnes nunc temporis vinum rubrum adhibent. EARLE, qui primùm hoc fluidum commendavit, aqua temperatum secundum exempli necessitatem illud injecit. Plerumque vini duas partes et aquae unam praefert. In nosocomio vino mero utuntur et fere semper necessarium erit. Post operationem scrotum suspendere oportet.

Alia fluida quidam chirurgi adhibuerunt. M. LAMBERT, qui jamdudum de hac opera-

tione scripsit, muriate hydrargyri in aqua calcis soluto usus est. Alcohol etiam a nonnullis ad eandem rem est usurpatum, sed nimis inflammationis produxit.

Omnes chirurgi hanc methodum morbum curandi sequuntur, nam non solùm quam certissimè meditur, sed etiam perbrevi tempore et sine effectis exitiosis quae haud raro ab aliis oriuntur.

Aliqua affectione testiculum urgente non sine periculo injectio adhibetur. In hoc casu itaque operationem sequentem praeferre oportet, quia faciliùs de testis conditione judicare possumus.

Incisio.—Quanquam ex hac operatione haud raró mors accesserit, multùm Domino B. Bell est commendata. Dominus Russell etiam, in ejus praelectionibus clinicis, ad eandem sententiam propendere videtur; quia interdum injectio non respondet. Ubi

morbi natura non bene intelligitur est certè praeferenda. Celsus hanc operationem descripsit. Tegumentis scroti a media ad superiorem partem tumoris incisis scalpello aperiendus est saccus, et priusquam omnis aqua effluxerit instrumentum, bistoury nominatum, immitti debet, et eo tunicam vaginalem a summo ad imum aperire oportet. In magno tumore melius erit partem saculi excidere, et denique vulnus ab imo linteolo est curandum.

Operatio interdum non respondet, et semper est injectione difficilior et molestior.

Excisio.—Hic modus morbo medendi priori est similimus. Pars scroti ovata et fere omnis tunica vaginalis scalpello exciduntur. Postea tantum necessarium erit apertum vulnus conservare, quod ab imo expleri debet. Haec operatio nunc temporis obsolevit, nam semper est periculosa et difficilis.

Causticum.—Interdum vice scalpelli causticum consilio partem scroti et tunicam vaginalem amovendi, est adhibitum. Periculo prioris vacat, sed multùm molestior est operatio injectione, et saepe non respondet.

Turunda.—Tunicam vaginalem medio turundae ex linteo aut spongia factae nonnulli irritant, atque inflammationem suppurationemque cient, quo modo cavitatem ubi aqua fuit accumulata, delent.

Nuper M. Larrey, in ejus Memoires de Chirurgie Militaire, introductionem frustulae catheteris elastici in tunicam vaginalem laudavit, quod huc ulluc movendo satis inflamationis producit.

Setaceum.—Dominus Pott semper setaceum adhibuit. A tumoris imo ad partem superiorem in canula id trajecit. Non injectioni est praeferendum, sed certè mitior operatio omnibus aliis videtur.

Medicamenta externa sunt ferè inutilia; sed Dominus KEATE usu solutionis muriatis ammoniae scroto admotae aliquando malo mederi solet.

FINIS.